

Hermann Heltberg Simon Kirchovius


Exercitationum Logicarum VII. De Postpraedicamentis

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729110680>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





R. U. phil. 76104

9

Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum

VII.

DE POSTPRÆDICA-
MENTIS.

Cujus theoremata

In Inclytæ Rosarum Academia


Sub Præside

M. HERMANNO HELTBERGIO

examini subijcit

SIMON KIRCHOVIUS *Rostochiensis Megap.*

Ad diem XVII. Januar. Hora
& loco conuetus.



Rostochi

Typis Myliandrini, Anno dⁿⁱ 1710 X.

Reverendis, Clarissimis, pietatis vera, virtutum humanitatis & omnis generis doctrinarum splendore ornatissimis viris,

DN. M. MICHAELI LANGIO,
apud Rostochiensis Ecclesie Christi ad D. Petrum Verbi
Dei ministro vigilantissimo.

DN. M. PETRO HINCKELMANNO,
ibidem Ecclesie ad D. Iacobum à concionibus fidelissimo.

NEC NON

Pietate vera, virtute, humanitate, & omnis generis doctrina conspicuo Viro,

DN. M. IOHANNI NEOSTEPHANO,
Scholæ Patriæ Senatoriæ collegæ fidelissimo, & Cantori in
templo Mariæ Virginitatis dignissimo, Præceptori
olim dilectissimo.

VT ET

Eruditione singulari, Virtute, vita integritate, multâq; rerum politicarum experientia præstantissimo Viro

DN. HERMANNO HARTVVIGIO,
Reverendi in urbe Rosarum Ducum Megapolitanorum Consistorij,
& celeberrimæ ibidem Iuridicæ facultatis Secretario fidelissimo & Notario publico.

Domini, Mæcenatibus, Patronis, fautoribus, & promotoribus suis omnibus & singulis ut bene de se meritis sua plurimum colendis & venerandis.

Hæc studiorum suorum primitias ingrati animi & debita observantia tuæ præsevi & sui commendationem,

offert dicat consecrat,

SIMON KIRCHOVIUS Rostoch. Megap.



Prooemium.

Postquam hætenus secundum monita Philosophi in amplissimo rerum theatro sumus versati, & ea quæ huic instituto nostro Logico maximè necessaria videbantur apprehendimus, & aliqualem rerum à Metaphysico mutuò sumptarum cognitionem nobis acquisivimus. Ideò jam consequens esse videtur, ut eodem Duce quorundam terminorum ambiguum in ipsiùs prædicamentis usitatorum explicationem quæ ipsiùs prædicamentis non parum lucis est allatura, subiiciamus. Inscrìbitur autem iste Aristotelis tractatus ab interpretibus plerisque, doctrina postprædicamentalis, quo nomine innuere videtur, hunc tractatum, non à priori, ut antepædicamenta, sed à posteriori ipsorum prædicamentorum cognitioni inferre, adeoque posteriori loco ponendum esse. Non autem hac disputatione de numero postprædicamentorum, an plura an verò pauciora sint ponenda, nec de ordine quo sint proponenda, an oppositionis doctrina priori an verò posteriori loco sit ponenda, disputabimus, & solliciti esse volumus, sed saltem ea quæ Aristoteles ejusque plerique interpretes proponunt, hac exercitatione includemus, & ita prolixas Philosophorum controversias in medio relinquemus.

*Hæc de Numero
nec de ordine
hic disputabim.*

Sed.

Theorema Primum.

Postprædicamenta sunt tractatus, ad essentialem prædicamentorum constitutionem

nem non pertinens, cognitioni tamen eorundem à posteriori nobis inserviens.

prædicamentalis
doctrina triplex

Antepredicamenta
& postpredicamenta
non sunt essentielles
partes prædicamentorum
ipsorum.

I. Præstantissimi pleriq; Aristotelis interpretes prædicamentalem doctrinã in tres generales partes dividere & dissecare solent. In prima enim de antepredicamentis, in altera de prædicamentis ipsis, & in tertia deniq; de postprædicamentis agere solent. Franc. Tolet. in proœmio in lib. categ. Arist. Cress. part. com. Log. lib. 1. de postprædicamentis, Jacob. Mart. Domest. disp. 4. th. 3. Quam divisionem à nobis hucusq; observatam esse facile intelligitur. Non autem veram & legitimam interpretum hanc divisionem esse contendimus. Non enim est divisio totius alicujus in partes essentielles. Antepredicamenta namq; & postpredicamenta non sunt essentielles ipsorum prædicamentorum partes, sed tantum ipsorum cognitioni meliori nobis inserviunt. Ex quo facile quis intelligere potest, nos hanc interpretum divisionem non tanquam legitimam, sed tanquam meliori perceptioni & distinctioni prædicamentorum inservientem assumere & approbare. Non enim ut antea, sæpè monuimus, adeò exactam & exquisitam rerum & eorum quæ ipsis adherent in Logicis cognitionem & scientiam requirimus. Hoc enim si in Logicis fieret, nullus foret deinde reliquis disciplinis; quæ hoc ipsum præstant, locus.

II. His ita de vulgari interpretum divisione & ordinis ratione præmissis, ad ultimã prædicamentorum partem, quæ de postprædicamentis inscribitur, postquam reliquas priores hæcenus absolvimus, nos convertemus. Dicimus autem quod postprædicamenta sint tractatus ad essentialiam prædicamentorum non pertinens, quæ ratione cum ipsis antepredicamentis, quæ eodem modo se habent, convenit. Verè enim dicendo hi duo tractatus de prædicamentorum non sunt essentialia, sed tantum, ut superius monuimus.

mus, ad predicamentorum essentiam plenius cognoscendam faciunt. Hinc quilibet nobiscum, quod res, & instrumentum cujus beneficio illa res melius cognoscitur, sint diversa natura & essentia, concludere & asserere poterit. Dicimus deinde quod genus nimirum tractatus à nobis positum non sit legitimum postpredicamentorum genus, sed saltem legitimi generis loco à nobis hic positum & adductum. Sufficit namq; harum rerum postpredicamentaliu aliqualem & vulgarem descriptionem attulisse. Addimus deinde quod ad meliorem predicamentorum cognitionem à posteriori nobis sit utilis & necessarius, quibus verbis vobis indicare volumus non temerè ab Aristotele, hunc tractatum veris predicamentis fuisse annexum, & ab interpretibus plerisq; retentum, sed illius usum esse eximium & summum. Primò enim hac doctrina predicamentorum pugnam & contrarietatem, & quot modis eadem inter se contrariantur, quando de oppositione seu oppositis agit, declarat. Facit deinde ad ordinem predicamentorum cognoscendum hac doctrina, quando de modis prioritatis agit, & multas alias commoditates ex hac doctrina postpredicamentali percipere possumus, de quibus videatur Regius Disputat. Logic. lib. 2. probl. 8.

11. Notandum insuper est, quod hac doctrina postpredicamentali ad genuinam alicujus termini simplicis in predicamentorum enarratione positi significationem intelligendam & cognoscendam & deinde ad ambiguitatem & equivocationem ejusdem tollendam plurimum emolumenti asserat & conducat. Non enim temerè à Philosophis est prolatum.

Erroris genitrix est equivocatio semper

Hujus itaq; rei gratia, ab Aristotele hic tractatus est propositus, ut primò ad predicamenta dextrè intelligenda & ambiguitatem quorundam terminorum ambiguum tollendam nobis adjuumento esset. His ita de utilitate & definitione hujus doctrine præmissis, neminem vestrum, qui non ambabus manibus in nostram

Tractatus Non
est legitimum
genus.

errare hæc tra
sit nihilis.

stram sententiam eat, ad se arbitramur. Et proinde sine ulteriori
hujus rei enodatione ad divisionem & membra potius ejusdem
accedendum nobis esse arbitramur. Videatur Francisc. Tolet.
in lib. categor. Arist. cap. II. Crellius part. com. Logic.
lib. I. de postpræd. Regius lib. 2. Disput. Logic probl. 8
Jacob. Mart. disputat. Domest. Log. 4. Gregor. Horst.
Instit. Log. lib. I. tract. 2. cap. 8.

Theorema Secundum.

Postprædicamenta ab Aristotele nu-
merantur quinque: oppositio, prius, simul, mo-
tus, habere.

I. Excusâ in priori theoremate postprædicamentorum defi-
nitione, declaratoq; sine ob quem hic tractatus hic est propositus,
jam quot ejus membra sint cognoscere & discere contendemus. Vbi
in principio vos statim monemus à multis hunc quinarium nume-
rum tanquam redundantem, à plerisq; etiam tanquam insuffi-
cientem reprehendi. Sed nos, uti etiam in principio monuimus,
his controversijs tanquam inutilibus & huc non spectantibus re-
lictis, Aristotelem potius & plerosq; ejusdem interpretes qui qui-
nario hoc postprædicamentorum numero fuerunt contenti, seque-
mur. & controversias ijs, quibus in his plus temporis, quam ne-
cessitas efflagitat ponere est animus, relinquemus. Possemus
enim alias plurimorum aliorum terminorum variam acceptio-
nem & significationem, eorumq; distinctionem huic tractatui
inferere ut quot modis accipiatur vocabulum causa, materia,
forma, finis, definitionis, divisionis. Sed quia hæc vel potius ad
partem Logicæ materialem, vel disciplinas reales spectare, &
huic tractatui nostro rerum non inservire videntur, simplici tan-
tum via de ijs quæ Arist. hic proposuit agemus.

Propo-

obvicio.
Quinarium nu-
merum repro-
henditur.
Sic.

II. Proposuit autem Aristoteles lib. 1. categor. cap. 11. usque ad finem ejusdem libri quinque postpradicamenta, quorum usus ad veriore[m] predicamentorum intellectum maxime videbatur necessarius. Nec est, quod quis hujus tractatus ordinem improbare, & postpradicamentum motus priori, & alterum de oppositione posteriori loco ponere velit. Non enim hic adeo ordinis quam Aristotelis ductus & instituti nostri rationem habebimus. Sufficiat itaque nobis hac in parte doctrina hac Aristotelis, quamvis interim plura postpradicamenta & meliorem eorundem ordinem dari posse, non denegemus.

neque vni
riusmodi ordi
bono & legit.

Theorema Tertium.

Opposita sunt, quæ uni eidemque rei simul & eodem respectu attribui nequeunt.

I. Dicimus quod opposita sint quæ uni eidemque rei simul, & eodem respectu attribui nequeunt, pro cuius descriptionis declaratione addimus, quod nomine oppositorum nobis veniant duo simplices termini, ut sit sensus oppositio est duorum simplicium terminorum quæ uni eidemque rei simul id est eodem tempore, & eodem respectu attribui, & de eadem predicari nequeunt, pugna. Sic calor & frigus sunt duo simplices termini, qui uni eidemque aqua simul & eodem respectu attribui nequeunt. Non enim dicere de aqua sine manifesta contradictione & absurditate possum, quod simul seu eodem tempore, & respectu eodem seu secundum eandem partem sit calida & frigida. Flac. Log. general. lib. 2. Regius lib. 2. Disputat. Logic. probl. 8. Gregorius Horst. Instit. Log. lib. 1. tract. 2. cap. 8.

II. Dicimus deinde ad uberiorem nostræ descriptionis declarationem, quod hic non agamus de oppositione Enunciationum, qua ratione, uniuersalis affirmativa & particularis negativa sibi inui-

inui-

in vicem opponuntur, sed saltem de oppositione simplicium terminorum in predicamentali tractatione propositorum. Oppositio enim Enunciationum non ad hanc, sed ad Enunciationum doctrinam, tanquam affectio earundem spectare & pertinere videtur. Regius lib. 2. Disputa. Logic. probl. 8. Crellius part. commun. Log. lib. 1. de postpræd. Jacob. Martin. Disp. Log. Domest. 7. th. 2.

unus simplex terminus & potissimum modis opponitur alteri

III. Non autem unus simplex terminus opponitur alteri uno, sed quatuor potissimum modis, secundum Arist. lib. categor. c. II. Aut enim relativè, aut contrariè, aut privativè aut contradictoriè sibi opponuntur. Francisc. Tolet. in cap. II. lib. I. categ. Arist. Flac. Log. general. lib. 2. cap. 15. Crell. part. com. lib. 1. de oppos. Relativè autem sibi invicem opponi dicuntur duo correlata, quæ uni eidemq; rei simul & eodem respectu attribui nequeunt. Sic pater & filius sunt duo correlata, quæ uni eidemq; homini simul & eodem respectu attribui nequeunt. Non enim de uno eodemq; homine simul & eodem respectu, quod sit Pater & filius, dicere possumus. Sic Johannes qui est Petri Pater eo respectu quo Pater illius est, filius ejusdem esse nequit. Sic declarare hoc ipsum multis alijs exemplis possemus, nisi res per se satis manifesta esset. Hoc tamen unicum addere volumus, quod interdum duo correlata in uno eodemq; subjecto, sed non eodemq; respectu & simul, sed diverso respectu concurrere, & de eodem predicari possint. Sic unus idemq; Homo diverso habito respectu ad diversa correlata, & Pater & filius esse potest. Sic Johannes potest esse filius Andrea, & Pater Henrici. Non autem Johannes eo respectu quo filius est Andrea, Pater ejusdem simul esse potest, sed alio habito respectu ad Henricum scotalis insigniri potest.

I. Relativè

II. Contrariè

IV. Contrariè opponi dicuntur duæ qualitates, quæ uni eidemq; subjecto simul & eodem respectu attribui nequeunt. Pro enodatione hujus descriptionis adducimus frigus & calorem,

Exemplum

calorē, qua dua qualitates semper inter se pugnant, nec de uno eodemq; subjecto, puta homine, aqua & similibus, simul & eodem respectu predicari possunt. Non enim de una eademq; aqua quando frigida est, quod tam simul etiam calida sit, predicare possum, sed semper una earum qualitatū in aliquo subjecto posita, altera ut de eodem negetur & removeatur necessum est. Fort. Crelpart. com. lib. 1. de postpræ. Jacob. Mart. Disp. Domest. Log. 7. th. 5. Solent vulgò contraria Logici in mediata & immediata dividere. Contraria immediata sunt, quorum uno posito in quodam subjecto alterum statim ab eodem removetur, & quorum uno remoto ex eodem subjecto alterum statim ponitur. Sic virtus & vitium contraria immediata esse asserimus, quia posita virtute in aliquo homine necessario ab eodem removetur vitium, & è contrario sensu posito in aliquo homine vitio, necessario ab eodem expellere & removeere virtutem possumus. Flac. Log. general. lib. 2. cap. 15. Jacob. Martin. Disputat. Log. Domest. 7. th. 6. Contraria verò mediata sunt, quorum non statim uno in aliquo subjecto in quo naturā inesse apta sunt, posito, alterum removetur & è contra, uno remoto alterum ponitur, sed quæ mediū aliquod agnoscunt, quod duobus remotis simul, adesse potest. Sic albedo & nigredo sunt contraria mediata; quia eorum uno remoto vel posito, non statim ponitur vel removetur alterum, cum quoddam subjectum quod neq; album, neq; nigrum, sed vel flavum vel viride sit inveniri possit. Sic in pariete non necessario ponitur vel nigredo vel albedo, sed etiam his duobus remotis vel viriditas, vel alius quidam color intermedius eidem inesse potest. Francisc. Tolet. in cap. 1. lib. categor. Arist. Gregor. Horst. lib. 1. Instit. Log. tract. 2. cap. 8.

IV. Privativè opposita sunt quorum unum rei presentiam alterum verò ejusdem absentiam in subjecto cui inesse natum erat dicit. Pro declaratione hujus descriptione dicimus, quod in privativè op-

Contraria divisio
in mediata & im-
mediata.

1. Contr: immed.

2. Contr: mediata.

3. privativè

B

tivè op-

1. siue oppositis requirantur duo simplices termini, quorum unus
 accidens aliquod quod subiecto illi cui à natura inherere aptum
 erat, non amplius eidem illud inesse dicat: alter verò eidem illud
 2. adhuc a se verat, qui deinde sibi invicem oppositi uni eademque rei
 simul & eodem respectu inesse nequeunt. Sic habitus & privatio,
 videndi sc. in animali, sunt duo simplices termini, quorum primus
 3. videlicet habitus eandem facultatem adhuc animali inesse alter
 4. verò privatio eandem non amplius eidem inesse, asserit. Non
 poterit ideoque, quis de animali simul & eodem respectu quod videat
 & non videat predicare. Termini enim hi privatio & habitus
 sc. videndi sibi invicem sunt oppositi & uni eademque rei, sc. vel
 Leoni, vel Homini vel Asino simul & eodem respectu attribui ne-
 queunt. Non enim Leo, Homo, Asinus simul & vident & caci-
 sunt. Notandum insuper vobis est quod non omnibus rebus qui-
 bus videre non convenit, privatio visus inesse dicatur, sed tantum
 5. ijs rebus quibus aliquandò videre contingit. Sic lapidem cacum-
 6. dicere non possumus, cum nunquam videre potuerit, sed hominem
 qui aliquandò videre poterit talem denominamus. Sic Asinum
 7. mutum, dicere non possumus, quia nunquam loqui potuit, Sic
 8. de arbore arbori risus privatione inesse dicere non possumus, quia
 nunquã videre potuit. Omnis enim privatio presupponit habitum
 9. & negato habitu precedente, negatur etiam privatio illius habi-
 10. tus consequens.

Asinus enim qui nunquam habitum loquendi habuit, pri-
 vationem ejusdem habitus habere nequit, & arbori cui nun-
 quam ridendi facultas adfuit privatio ejusdem facultatis attribui
 nequit. Franciscus Tolet. in lib. categor. Aristotel. cap. II.
 Flacius Logic. general. lib. 2. cap. 15.

Contradictorie opponi dicuntur ea, quorum unum
 esse, alterum non esse dicit. Dicimus quod contradictorie
 sibi opponi dicuntur ea, quorum unum esse alterum verò non
 esse dicit, quibus verbis inuere volumus quod in contradictorie
 oppo-

A contradicto-
 riè.

oppositis requirantur duo termini, quorum unus semper affirmet, alter verò semper neget idem. Sic homo non homo, sunt duo simplices termini, quorū primus animal aliquod ratione pradi-
 de notat & dicit, alter verò idem negat & rejicit. Atq; hæc de
 oppositionis speciebus secundum Aristotelem in medium asserre
 placuit, quarum usum & utilitatem enarrat Regius Disputat.
 Log. lib. 2. probl. 8.

Theorema Quartum.

Secundum postprædicamentum vocabuli prius ambiguitatem exponit.

I. Agimus etiam de hujus vocabuli ambiguitate in hoc post-
 predicamentali tractatu propterea quia in predicamento substan-
 tia facta est mentio prioritatis, quod videlicet quadam substantia
 sit prima & secunda. Ne itaq; hujus vocabuli varia significa-
 tione decipi possent studiosi Logices, ejusdem ambiguitatem decla-
 rare voluit. Dicitur autem unum prius altero, primò tem-
 pore: Sic Adam prior est tempore quam Abel: Sic Plato prior
 tempore quam Aristoteles dicitur. Dicitur deindè aliquid
 prius altero Naturâ: Sic substantia naturâ prior est accidenti-
 bus, principia priora principiatis dicuntur. Tertio una res al-
 terâ prior ordine dicitur: Sic in oratione aliqua, litera sylla-
 bis, syllaba dictionibus, dictiones oratione aliquâ integra priores
 dicuntur. Quarto deniq; una res altera prior dicitur dignitate
 sive honore: Sic Imperator Romanus prior est Principe, Prin-
 cept prior Barone, Baro prior nobilibus.

quare de prinis hic
 lagamus?

1
 2
 3

1

2

3

4

Subst. i. omni indi-
 vidua Subst. 2
 Gra & spes a sub
 sta continetur.

Theorema Quintum.

B 2

Terti

SIMUL

Tertium postprædicamentū est quod vocabuli simul variam acceptionem declarat.

ovare de si
mul agatur.

Temp.

Nat.

I. Agit etiam propterea Aristoteles de hujus vocabuli enodatione, quia illius in doctrina relatorum mentio facta est, atq. sic hæc tractatio propter prædicamentum relationis dexterius intelligendum necessaria est. Dicuntur autem quedam res simul, quæ in eodem tempore existunt, sic Jacobus & Andreas, qui eodem tempore nati sunt & vivunt simul esse dicuntur. Dicuntur deinde quedam simul naturâ. Sic Pater & filius, causa & effectus dicuntur simul. Dicuntur deniq. duæ species sub eodem genere contenta, & illud dividentes simul: Sic animal & brutum, quia sub eodem genere videlicet animali continentur & illud dividunt, simul dicuntur. Regius lib. 2. Disputat. Logic. problem. 8. Jacobus Martini Disputat. Logic. Domest. 7. thes. 20.

Ratione
dispositio

Theorema Sextum.

MOTUS.

Quartum Postprædicamentum est quod de varia vocabuli motus significatione agit.

origi.

interim

3. auctio

4. imminutio

5. variatione

I. Quartum inter postprædicamenta locum assignatur enodationi vocabuli motus, quod primò generationis nomine, quæ substantijs competit, venit: sic generatio hominis dicitur motus, generatio Leonis dicitur motus: Secundò hoc vocabulum corruptionem denotat: Sic corruptio Leonis, equi dicitur motus: Tertiò hoc vocabulum augmentationem denotat: Sic quando quantitatis minoris in majorem fit auctio, hæc ipsa motus nomine venit: sumitur deinde etiam vocabulum motus pro diminutione: sic majoris quantitatis in minorem diminutio motus dicitur. Denotat deinde vocabulum motus variam qualitatis.

litatis alicujus alterationem, & immutationem. Sumitur
 ultimo vocabulum motus pro loci mutatione, sic quando unum
 aliquod corpus in diversa loca movetur, illa motio motus nomine
 venit. Habet itaq; hujus vocabuli enodatio usum^r in substan-
 tia, qua generari & corrumpi^r in quantitate qua augetur & di-
 minui^r in qualitate qua alterari dicitur.

6.
 Circulorum
 mutationem.

usque hujus
 postpredicamentum
 nri MOTUS.
 tres.

Theorema Septimum.

Quintum Postpredicamentum est quod
 vocabuli Habere significationes varias de-
 monstrat.

HABERE.

I. Propter qualitatem & ultimum predicamentum in quibus
 frequens habitus fit mentio hic de ejusdem vocabuli varia acce-
 ptione agimus. Sumitur autem primo habitus vocabulum pro
 qualitate aliqua crebris actionibus acquisita, quales scientia, pru-
 dentia & sapientia perhibentur.

quare de habere
 hic agitur pp
 qualitatem & h
 ultimum predica-
 mentum habitum.

II. Aliquem quantitatem seu magnitudinem habere dici-
 mus. Tertio etiam quis vestem habere dicitur. Quarto totum
 partes habere dicimus: Sic homo brachium, manus & pedes
 habet. Dicitur deinde cantharus habere vinum, aquam, cerevi-
 siam. Dicimus deinde etiam aliquem habere agrum, fundum, a-
 des, sic qui praeclaras ades, multos possidet agros eosdem habere di-
 citur. Dicitur deniq; aliquis habere uxore, sic Adam Evam suam
 habere dicebatur, sic omnes conjugali foedere vincti, uxores ha-
 bere dicuntur. Atq; hac brevis postpredicamentorum declaratio
 esto, cujus usum, qui aliquantò altius superius dicta repetitive-
 rit, in predicamentis cognoscendus, maximum & summum esse,
 deprehendet & cognoscat. Videatur Franciscus Tolet. in
 lib. categor. Aristot. cap. II. & sequentibus. Regius lib. 2.
 Disputat. Logic. probl. 8. Flacius Logic. generalis lib. 2.

cap. 15. & 17. Crellius part. commun. Logic. lib. 1. de
postprædicament. Jacobus Mart. Disputat. Log. Domest.
7. Gregor. Instit. Logic. lib. 1. tract. 2. cap. 8.

Corollaria.

I.

*An Postprædicamentalis doctrina sit uti-
lis & necessaria.*

II.

*An à privatione ad habitum detur re-
gressus.*

III.

*An motus doctrina ad Metaphysicam
an verò ad Logicam propriè pertineat? Aff.
prius.*

IV.

*An plura Postprædicamenta possint con-
stitui? Aff.*

V.

*An ergò Aristot. quia ea omnia non po-
nit, erraverit? N.*

92 25

Ad

Ad tūm moribus ornatum, tūm lite-
ris expolitum Iuvenem,
SIMONEM KIRCHOVIVM

RESPONDENTEM,
Sympatriotam & amicum suum singularem.


ARs sua cuiq; placet semper; sua quemq; voluptas
Ad studium laudis, vel mala facta, trahit.
Pars quædam nil vult aliud, nil corde volutat,
Quam quod opum cumulum quærat avara cohors.
Pars quædam semper Venerem Bacchumq; celebrat,
Stramina per vitæ dedita delicijs:
Degener atq; cohors vitijs tumer atq; laborat,
Iratumq; Deum, quividet illa, movet.
Pars quædam gaudet Cymbam propellere remo,
Quando sub remis cærule spumat aqua.
Ferreæ, pars quædam, sic optat prælia Martis,
Quamlibet ex illis vulnera sæpè tulit.
Grammatices studio fervet pars plurima semper:
Pars quædam fervet Rethorices studio,
Deniq; quam verè quidam cecinere poetæ,
Qui corde ex imo tale poema canunt.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Musica de cantu, de virgine narrat amator,
Enumerat vates carmina, Cræsus opes.
Hoc verè de te **SIMON** doctissime dici
Laudariq; poteit: (res probat ipsa fatijs)

Nam

Nam studio ferves solvendi Sophismata falsa,
Et quid sit verum discis, amice SIMON
Idq; probas hodie exemplo, qui vera defendis: *fateris*
Falsaq; cum Vanis reijcis illa simul.
Tramite jam capto sic pergere pergito: Nomen
Crescet honore novo, crescet amore DEI.
Officiosa manus fieri quod posse negabis
Æquabit terris æquora, & ima solo.

inter negotia scribebat

NICOLAUS THEOPHILVS
Rostoch. Megapolis.





Quam pulchrè scandis Parnassi ad culmina montis,
Omnibus est notum, SIMON amice, viris.
Et quam naturæ mysteria magna laboras
Pulchrè per Logicos explicuisse modos.
Hæc quibus ingenij tua sunt clarissima dona,
Cognita, quæ dixi, sic retulere viri.
Quare si tanto perrexeris omnibus annis
Tramite, te cuncti ter celebrare queunt,
Ac referent omnes Logici te nomine dignum;
Et doctum poterunt te vocitare virum,


Honoris ergò fecit,

FRIDERICVS HARTWIGIVS
Rostoch. Megapol.









306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document